

Le texte donné ici est celui établi par Prosper Blanchemain dans son édition des *Oeuvres complètes de Melin de Saint Gelay* (1873).

## MELLINI SANGELASII LATINA CARMINA.

## ANNAE GALLIARUM REGINA EPITAPHIUM.

C_1	v.1	Contendunt dum forte Venus, Tritonia, Juno,
	2	cui prior ex ipsis sit tribuendus honor ?
	3	Jupiter ista Deos veritus ne rixa moveret,
	4	expulsas supero privat honore Deas,
	5	praereptamque Annam terris suffecit Olympo,
	6	atque erit haec, inquit, pro tribus una satis.

## LUDOVICAE FRANCISCI I. MATRIS EPITAPHIUM.

C_2	v.1	Hoc Lodoica loco posita est. Quid plura, viator,
	2	exspectas ? Norunt cetera et Antipodes.

## EJUSDEM : IPSA LOQUITUR.

C_3	v.1	Fortunam quaeris cur vicir Gallia ? _ Vixi.
	2	Cur eadem vincat cum perii ? _ Peperi.

## IN AQUILAM.

C\_4 v.1 Quae tibi jam sedes, Aquila, aut quae regna petantur,  
 2 turpiter e nido nuper abacta tuo ?  
 3 Aera vis ? Gallus pennis melioribus usus  
 4 hunc tenet ; et mediis stat Salamandra rogis.  
 5 Tum terris Hystrix arcebit, et aequore Delphin,  
 6 ut possis nullo tuta manere loco.

## DE HELIDE.

C\_5 v.1 Helis Pompilii furoris ardor,  
 2 cujus nequitias, jocos, salesque,  
 3 incessum, intuitum, allocutionem,  
 4 formam denique ceterae vel ultro  
 5 probant, et sibi praeferunt puellae,  
 6 hesterno fuerat die vocata  
 7 ad convivia lauta nuptiarum,  
 8 quibus Cicilio Camilla juncta est.  
 9 Dumque ornator huc cupit venire,  
 10 dum flavam ad speculum comam renectit,  
 11 vernantes strophio et premit papillas,  
 12 dum monilia, gemmeasque torques  
 13 adfigit modo, mox sibi refigit  
 14 ut loco statuatur decentiore,  
 15 mirum quam misere diuque torsit  
 16 nos desiderio sui moraque.  
 17 Nam sine Helide, quid potest venustum  
 18 quid tota lepidum videri in aula ?  
 19 Tandem de numero juvenculorum  
 20 unus, nec facie infimus, nec ortu,  
 21 penetralia clam domus puellae  
 22 ingressus : "Quid agis mea, inquit, Heli ?  
 23 Quaesitum tibi non satis decoris,  
 24 quae mortalibus imperas, deisque ?  
 25 Nescis de tabula manum, vetusto  
 26 praecepto artificis boni, movendam ?"  
 27 Helis de speculo prius loquentem  
 28 contemplata, parum caput reflectens,  
 29 et risu excipiens modestiore  
 30 inquit : "Dum tabula haud queo movere  
 31 manum, ne faciem, puer, caveto  
 32 ut nec tu inde oculos movere possis !"

## AD SYLVIAM.

C\_6 v.1 Septembres violas atque autumnalia sarta  
 2 accipe, et expertas frigora prima rosas.  
 3 Miraris munus ? Magis est, mea Sylvia, mirum

4           te flammis oculis, pectore ferre gelu.  
 5       Aut hoc, si mavis, magis est mirabile contra,  
 6           pectore me flammis, vertice ferre nives.  
 7       Tu mihi pro violis meritos, mea Sylvia, fructus,  
 8           et verno aetatis tempore poma dato.

AD EAMDEM PAULO ALITER.

C\_7       v.1       Septembres violas, atque autumnalia sarta  
 2           accipe, et expertas frigora prima rosas.  
 3       Miraris munus ? Magis est, mea Sylvia, mirum  
 4           pectore me flammis, vertice ferre nives  
 5       heu calor iste rosas autumnis, et lilia profert,  
 6           qui verno aetatis tempore poma dabat.

AD SEIPSUM.

C\_8       v.1       Insulsam Antigone, quis possit credere ? Praefert  
 2           Anna tibi, et Musis, Sangelasine, tuis  
 3       quid, praefert ? Imo et stolidi fastidia perfert  
 4           quae vix e trivio sumpta puella ferat.  
 5       Supplicis interea studium aspernatur amantis,  
 6           quaeque deos possit demeruisse, fidem.  
 7       Collectas alibi quin in me ulciscitur iras  
 8           nostra sui tamquam sint mala cura mali,  
 9       dissidium hoc vetus est, ut te quicumque sequuntur,  
 10          teque, Minerva, colunt, his sit iniqua Venus.

DE BONAVENTURA LIGERINA.

C\_9       v.1       Debuerat, cui sunt bona tot praesentia, Virgo  
 2           non a venturis nomen habere bonis.

DE EADEM.

C\_10      v.1       Ne ductum a Ligeri Ligerinae credite nomen,  
 2           numen ei majus, majus et omen inest.  
 3       Vis illi est hominum mentes, et corda ligandi.  
 4           Quare cur a te non, Ligerina, Liger ?

ALBERTI RIPANI FIDICINIS EXIMIUS EPITAPHIUM. MORS LOQUITUR.

C\_11      v.1       Alberti hic cinis est, quo vincere Mantua alumno  
 2           et Dircen fidibus creditur, et Rhodopen.  
 3       Francisco ille quidem, quae rara est gloria, Regi,  
 4           atque, Henrice, tibi magne probatus erat.

5 At Tiberim fuerat cantu, Tamesimque moratus,  
 6 saxaque Rhiphaeis duxerat ante jugis.  
 7 Quin, mirum, silices vocalia plectra secutos  
 8 intra etiam vatis membra coisse ferunt,  
 9 quos, dum perniciem afferrent, et fata canenti,  
 10 assuetis nequii rumpere carminibus.  
 11 Nam neque jam articulos vita fugiente movebat  
 12 nec mutam poterat sollicitare Chelyn.  
 13 Libera quod si illi manus hic, pectenque maneret,  
 14 haec etiam fidibus pectora mota forent.

AD CAROLUM V, IMPERATOREM METAS OBSIDENTEM I552.

C\_12 v.1 Quid scelerata moves alienis mensibus arma,  
 2 et longa Metas obsidione premis,  
 3 Carole ? An Herculeas ultra ut spatiere columnas,  
 4 et solis spectes exorientis equos ?  
 5 At quantum a Rheni populis gens dissita Maura est,  
 6 quam longe a rapido Gange Mosella fluit !  
 7 Non haec respondet populis cunctatio tantis,  
 8 ut qui orbem affectat non queat urbe frui.  
 9 Hic igitur stulti "meta" est statuenda laboris,  
 10 nomen et hoc "Metas" omen habere puta.

META URBS.

C\_13 v.1 Ex quo me infaustis incessit Carolus armis,  
 2 jam non Metae illi sed Metanaea vocor.

INSCRIPTUM TABULAE AENEAE VALLIS ET AGGERIBUS SEDANII AFFIXAE 1554.

C\_14 v.1 Absentis casum solans Francisca Roberti  
 2 Breseis, hoc illi provida struxit opus.  
 3 Solerti conjux telas texebat Ulyssi,  
 4 Marchii at uxorem Martia facta decent.

BERLANDIAE ANUS EPITAPHIUM.

C\_15 v.1 Cur lolia, et tristes hoc surgunt caespite culmi,  
 2 proxima cum miti gramine vernet humus ?  
 3 Intulit has tumulata solo Berlandia pestes,  
 4 quae nostri pestis temporis una fuit.  
 5 E cerebro helleborum, putri de corde cicutam  
 6 protulit, e lingua nata aconita ferunt.

## DE JULIO CAESARE SCALIGERO MEDICO, AETATE CONFECTO AD HENRICUM II.

C\_16 v.1 Cur, Henrice, tibi petitur, Mavortis alumne,  
 2 qui gemina Phoebi Scaliger arte valet ?  
 3 Quod vitam possit succis retinere fugacem,  
 4 et raptam aeternis reddere carminibus.

## ANETANI HOROLOGII INSCRIPTIO.

C\_17 v.1 Cur Diana oculis labentes subjicit horas ?  
 2 Ut sapere adversis moneat, felicibus uti.

## AD FAUVILLAM QUAM FAVILLAM VOCARE LIBUIT.

C\_18 v.1 Quid, mea vita, paras medicatis spargere lymphis  
 2 hos oculos, jam nunc flumina, non oculos.  
 3 Hi manant latices imo de corde, nec illos  
 4 siccare ulla potest unda, Favilla potest.

## INSCRIPTUM CITHARAE ANNAE REMONIAE.

C\_19 v.1 Anna, tui quoties digiti cum voce loquuntur,  
 2 dum nervos animant, me simul exanimant.

## ILLI IPSI

C\_20 v.1 Quid mihi Atlantiadae narrant miracula vates ?  
 2 Dat nervis animas Anna, adimitque viris.

## ALTERI SUAE.

C\_21 v.1 Dum tu animas nervos, et ligna carentia sensu,  
 2 his digitis animum subripis, Anna mihi.

## ALITER.

C\_22 v.1 Dum facis, Anna, chelyn sensu spirare carentem,  
 2 spiranti sensum subripis ipsa mihi.

## AD SUSANNAM A QUA CITHARAM DONO ACCEPERAT

C\_23 v.1 Hujus erit Citharae memor, o Susanna, tuique  
 2 Mellinus, poterit dum memor esse sui.

## DE EA IPSA CITHARA.

C\_24 v.1 Hanc citharam, et citharae dominam Melinus amabit  
 2 dum Venerem et Charites mollis amabit Amor.  
 3 Dum risum at que jocos mollis amabit Amor.  
 4 Dum tela atque faces saevus habebit Amor.  
 5 Dum planctum et lacrimas saevus amabit Amor.

## AENIGMA DE ANNA REMONIA.

C\_25 v.1 Me miserum Tyriae germana exercet Elisae,  
 2 et cruciat frater, magne Quirine, tuus.  
 3 Miraris ? Duo jam non sunt, sed corpore in uno  
 4 tela in me vertunt gentis uterque suae.

## QUOD SIC EXPRESSIT JO. PAULUS SELVA.

C\_26 v.1 Romani et Poeni conjunctis foedere dextris,  
 2 nunc mihi bella suis asperiora movent.  
 3 Phoenissae nam pulchra soror me incendit Elisae,  
 4 fratre gerente facem, dive Quirine, tuo.

## INSCRIPTUM LIMBO CHIROTHERCARUM.

C\_27 v.1 Quae manus his latebris oculos furatur amantum,  
 2 cor mihi de medio pectore subripuit.  
 3 Subripuit mihi cor quo non constantius ullum,  
 4 sive sit illi aequus, seu sit iniquus amor.

## INSCRIPTUM TESTUDINI ANNAE REMONIAE

C\_28 v.1 Non tenet hanc citharam Cytherea, ut creditis illam.  
 2 Tractat Amor, matris fronte habituque latens.

## MARIA COMPANAE NICOLAI HERBERII UXORIS EPITAPHIUM.

C\_29 v.1 Dat lacrimas, dat serta tuo, Compana, sepulchro  
 2 aeternus patriae maeror amorque tuae ;  
 3 scilicet eximii damno perculsa decoris,  
 4 et priscae exemplis orba pudicitiae.

## ALIUD.

C\_30 v.1 No, Parcae Herberium, at viduarunt conjuge Musae,

2 dum sibi ne uxorem praeferat ille, timent.

AUT SIC.

C\_31 v.1 Te Musae Herberio rapiunt, Maria optima, ne tu  
2 sis una unius quem coluere novem.

BONIVALLLIAE PUELLAE NOBILISSIMAE  
EX MARGARITIS REGIS HENRICI II SORORIS COMITATU  
EPITAPHIUM.

C\_32 v.1 Posse putet quisquam caelo se attollere valles,  
2 quo nec Athos celsum nec ferat Ida caput ?  
3 En bona quae nostro vallis modo floruit orbe,  
4 sub pedibus caelum sideraque alta videt.  
5 Unde homines miserata, malis se morte fatetur  
6 ereptam, et vita jam meliore frui,  
7 Margaridis desiderio tamen usque teneri,  
8 cedere quae terras non sinit una polo.

DE QUODAM MAGISTELLO.

C\_33 v.1 Est quidam in triviis quem dicit turba poetam,  
2 non quod Odysseas aut longa poemata condat,  
3 verum quod pueros vix matris ab ubere raptos  
4 ille docet p, o, po, e, poe, t, a, ta, poeta.

CAROLI AURELIANORUM DUCIS FILII FRANCISCI PRIMI, EPITAPHIUM.

C\_34 v.1 Non tantum urbis amor jacet hic ubi, Carole, caros  
2 liquisti cineres, orbis at ipse jacet.  
3 Nam te mortales vitam aversamur adempto,  
4 et sine te caeli nos piget atque soli.

ANNEBALDI CLASSIUM GALLICARUM PREFECTI QUEM ANNIBALEM NUNCUPARE LIBUIT  
EPITAPHIUM.

C\_35 v.1 Annibali hunc tumulum Pietas posuere, Fidesque  
2 et Regum, et Patriae multa querentis Amor.  
3 Nam Patria armatis quicquam genuisse negabat  
4 pacatisque illo Regibus utilius.

DE TYRANNIDE

C\_36 v.1 Dum bona libertas agros tueretur et urbes,

2           aequabat summis Regibus agricolas ;  
3       ast ubi saeva homines docuit servire Tyrannis,  
4           vix ipsis homines civibus esse licet.

DE FORTUNA.

C\_37     v.1     Aut nulla est Fortuna, atque est sine numine nomen  
2           Fortunae aut totidem sunt, quot in orbe homines.  
3       Cujusque ingenium sequitur Fortuna, fereque  
4           Fortunae est opifex quisque, faberque suae.

AD CORVUM CHIROMANTEM.

C\_38     v.1     Scrutari in rugis hominum cum fata feraris  
2           Phoebaeam quis te, Corve, negabit avem ?  
3       Quam multa in Briarei potuisses cernere palmis,  
4           cui vetus est centum fama fuisse manus.

ARS AUGENDAE PULCHRITUDINIS.

C\_39     v.1     Visa quidem formosa mihi est Antonia semper ;  
2           nam quis non faciem, luminaque ista probet ?  
3       Ast eadem, postquam a nobis incepit amari,  
4           longe oculis visa est pulchrior illa meis.  
5       Credita quin etiam est formas superare Dearum,  
6           igne ubi se est primum fassa calere meo.  
7       Ergo amet, inque dies porro pulcherrima fiet,  
8           surget et immenso major amore decor.  
9       Quod si non ideo quod amem me diligat illa,  
10          saltem amet, ut formae consulat ipsa suae.

DE NATALIBUS LUDOVICI AURELIANENSII DUCIS HENRICI II FILII.

C\_40     v.1     Quo tua Aquitanis pietas, Henrice, pepercit  
2           tempore, eo est soboles mascula nata tibi.  
3       Quis neget Aeneaden, possis qui, o maxime Regum,  
4           et servare homines, et generare Deos.

INSCRIPTUM PARVAE TESTUDINI.

C\_41     v.1     Haec blando teneras cantu testudo puellas  
2           allicit et duras non sinit esse diu.



## ALTERI.

C\_42 v.1 Non alia rigidas pulsat testudine mentes  
2 Cyprius, ut victas cogat amare, puer.

## ALTERI.

C\_43 v.1 Me cantu multi vincunt, fidibusque canoris ;  
2 candore atque fide nec Superi superant.

## ALTERI.

C\_44 v.1 Quae Dodonaeo nascuntur vertice quercus  
2 fama est fatidico reddere verba sono ;  
3 at nostro dominae pateat si janua cantu,  
4 me Dodonaeis frondibus anteferam.

## INSCRIPTUM UNI CUI INERAT PRO MANUBRIO EQUI CAPUT SCULPTUM.

C\_45 v.1 Carmina ne, Musae, capiti invideatis equino,  
2 quae colitis, divae, flumina fecit equus.

## INSCRIPTUM ALTERI TESTUDINI.

C\_46 v.1 Qui volet et fidibus laudetur et arte canendi  
2 ipse fide satis est si lauder et arte tacendi.

## LYRA.

C\_47 v.1 Parva quidem, si fatidicas quercusque, ratesque  
2 contuleris nobis, et vix vocalis habebor.  
3 Verum, si dominae vincant mea carmina pectus,  
4 nec Dodona mihi, nec se mihi praeferat Argo.

CARMEN SCRIPTVM INTRA TABELLAM SPECULI DONO DATI,  
QUOD NISI APERTO SPECULO LEGI NON POTERAT.  
EXTERNE LEGBATUR HOC HEMESTICHION.

C\_48 v.1 Quod video nusquam est.

## A TERGO HOC.

C\_49 v.1 Beneficium accipit qui digno dat.

C\_50 v.1 Qamvis felici sis praestantissima forma,  
2 internis tamen es clarior, Anna, bonis.

ALLUSIO AD LEGATIONEM GERMANICAM VEHI ET REMONII  
IN COMITIIS RATISPONENSIBUS, MOX AD EAM QUAE OLIVARIUS,  
ET IDEM REMONIUS FUNGUNTUR HODIE,  
HIC IN BRITANNIA, ILLE IN BELGICA 1541.

C\_51 v.1 Rex pariter velis pacem, remisque secutus  
2 vela dabat caeco non bene sarta mari.  
3 Nunc remo incumbens, ramoque feracis olivas  
4 optatae portum nunc prope pacis habet.

\* BONAVENTURA AD MELLINUM SANGELASIVM.

C\_52 v.1 Hoc tibi, Gallorum vates clarissime, munus  
2 fert Bonaventurae Musa pusilla tui.  
3 Scilicet hocce petax munus rem captat eandem,  
4 si melior dici res eadem ulla potest.  
5 Sic dat ut accipiat magno cum fenore pauper,  
6 et tenues doni nomine vendit opes.  
7 Sic violas nostrae, sic ficus saepe Minervae,  
8 ut potiora ferat, rustica donat anus.

\* Bonaventure Desperriers

MELLINUS SANGELASIVS DE BONAVENTURA.

C\_53 v.1 Debuerat cui tot bona sunt praesentia vates  
2 non a venturis nomen habere bonis.

DE LACTE ASELLAE.

C\_54 v.1 Trojam evertit equus, Persas genus auxit equorum  
2 nolo ego equos ; fatis sat sit asella meis.

AD SALOMONIUM MACRINUM.

C\_55 v.1 Quas mihi tu hesterno cumulasti epigrammate laudes,  
2 iudicio veniant, anne ab amore, vide ;  
3 nam me aequare aliis patrio sermone poetis  
4 ut candor, sic est praeposuisse favor.  
5 Nec sum adeo obducto caeca caligine sensu,  
6 illos me titulos ut meruisse putem.  
7 Nos quibus et studium facilisque Thalia nitorem

8           et decora eloquii non peritura dedit,  
9       quos inter, Macrine, caput tantum exseris omnes  
10       quantum equiti veles cedit, equesve duci ;  
11       scribite felices, seu vos ad classica, seu vos  
12       impetus ad citharae fila canora vocet.  
13       Mi sat erit, magnos dum fertis ad aethera Reges,  
14       si faveam, et numen vos habuisse putem.  
15       Sunt mihi (confiteor) tenues ad carmina vires,  
16       venaque ab Aonio non bene ducta lacu,  
17       atque ea vel curis, vel desuetudine longa,  
18       aridior Libyca jam mihi facta siti :  
19       verum est virtutis cupiens mihi pectus, et ingens  
20       recti, qui mihi te conciliavit, amor.  
21       Hunc (quid enim majus ?) Salmoni, amplectere, nosque  
22       qualiter a nobis tu quoque amaris, ama.